

fieri posset apud vos typis committi mallet, quam aliis in regionibus; hic enim rationes nonnullæ me deterrent ab hoc opere suscipiendo; quamobrem consilium tuum de hac re summo opere exopto. Ubi literas aliquas mihi dare dignaberis illas ad D. Durade, directorem literarum Genevæ pro Rege Sardinia, inscribere poteris, quo illas mittat Taurinum ad D. commendatorem de Laroli, directorem generalem literarum (*des postes*) pro tota Regis Sardinia ditione, a quo mihi tuto reddentur.

Interim, vir clarissime, mihi ignoscas si præsentibus hisce te interpellare audeo; quum enim, exoriente bello, commercium omne inter vestram et nostram urbem fuerit interclusum, primam quæ mihi sese offert occasio servitutis meæ tibi renovandæ lubens arripio. Vale, et fave

Tibi omni honoris cultu addictissimo

LUDOVICO DE LA GRANGE.

P. S. Eques Salutius ⁽¹⁾ qui dissertationem quandam de pulvere purio in nostris Commentariis dedit, interpretationem molitur operis quod lingua Germanica composuisti, instar notarum ad D. Robins ⁽²⁾, me rogavit ut te de hac re certiores facerem, quo animum tuum mihi significare valeas.

9.

LAGRANGE A EULER.

Taurini, die 28 julii anno 1759 ⁽³⁾.

VIR AMPLISSIME ET CELEBERRIME, FACTOR HONORATISSIME,

Tres jam pene clapsi sunt anni ex quo nihil amplius literarum nec a te accipere, nec tibi mittere mihi datum est. Statim enim ac presens

⁽¹⁾ Voir ce Mémoire dans le t. I, p. 3, et les additions dans le t. II, p. 94 et 216.

⁽²⁾ *Neue Grundsätze der Artillerie, aus dem Englischen des Hrn B. Robins übersetzt.* Berlin, 1746; in-8°.

⁽³⁾ *Lettres inédites*, p. 25.

bellum exortum est in regionibus vestris, mercator ille per quem epistolæ nostræ transferebantur mihi significavit, commercium inter nostras et vestras regiones aut omnino interdictum, aut saltem periculi et alea plenum esse; nec ex eo tempore viam ullam satis tutam ad id invenire mihi contigit.

Nunc vero cum præsens liber typis manderetur qui aliqua ex parte ad me pertinet, officio meo erga te me defuturum putavi, nisi omnem operam adhibuissem et modum quærerem, quo illum tibi quantocius offerre ac dicare possem. Exoptatam itaque tandem nactus occasionem, tibi mitto hoc exemplar Commentariorum physico-mathematicorum ⁽¹⁾ quæ societas quædam privata in lucem emittere cœpit, eo animo ut hujuscemodi scientiarum studium, quod hactenus nimis jacuisse videtur apud nos aliquomodo excitetur, et promoveatur. Inter dissertationes mathematicas primæ duo nihil continent quod tua videatur attentione dignum; tertia in qua de soni natura et propagatione agitur, fortassis, ut spero, alicujus ponderis videri poterit, ob theoriam de oscillationibus chordarum tensorum, et fibrarum ærearum, quæ novo et rigoroso calculo superstructa invenitur; atque de hac præcipue judicium tuum quam vehementissime exopto. Quarta demum dissertatio mathematica labor est juvenis cujusdam felicissimi ingenii ⁽²⁾, qui inter Artillerii alumnos, meosque discipulos est, et a quo maxima promitti posse videntur. Reperies hic pag. 142 notatiunculum meam de quodam Paradoxo, quod D. d'Alembert invehere in Analysin non dubitavit.

Elapso anno, literas ipsi dedi, quæ ejusdem enodationem complectebantur; rescripsit Auctor tergiversationes potius quærendo, quam rationes meas oppugnando; satius itaque esse duxi rem totam publici juris facere, ut omnem contentionum privatarum molestiam effugerem. De rebus physicis et anatomicis nihil loquor ut pote quæ mihi

(1) C'est le premier Volume de la Société de Turin, 1759.

(2) Daviel de Fontenex, dont le Mémoire, qui termine le Volume divisé en deux Parties, est intitulé : *Reflexions sur les quantités imaginaires* et occupe les pages 113-146.

(3) Nous n'avons point cette lettre. La Correspondance de Lagrange avec d'Alembert ne commence qu'avec le mois de septembre 1759.

extranea maxima ex parte sunt. Interim si tibi æquum videbitur, vir clarissime, totum hunc librum Academiæ vestræ judicio submittere facultas omnis pene te esto, et maximas hac de re Societas nostra integra tibi gratias habebit. Si approbationem aliquam apud vos promereri possemus, id nobis certe maximæ verteremus gloriæ, et simul etiam ad studiorum nostrorum æstimationem non mediocrem, ac tutelam quoque in hac ditione nobis parandam summopere conduceret. Dominum de Maupertuis nescio ubi moretur, quamobrem te deprecor ut me de ipsius domicilio certiore reddas, quo literas ipsi dare, et librum hunc quoque mittere possim. Opus quod moliebar de Applicatione principii minimæ quantitatis actionis ad Mechanicam universam, pene absolutum est; illum in duas partes distribui; in prima exponitur methodus mea *maximorum et minimorum* ad formulas integrales indefinitas applicata, cui maximam quam potui extensionem tribuere conatus sum, ita ut parum amplius desiderari posse videatur in hac materia. Secunda pars agit de principio minimæ quantitatis actionis, cujus ope, et per methodum antea explicatam difficiliora quæque Mechanices problemata facillime, et universaliter resolvuntur. Animus esset, si id fieri posset, illum Berolinum antea mittere ut tum tuo, tum D. de Maupertuis, tum Academiæ integre judicio submitteretur, et deinde typis quoque illic consignari posset, ad evitanda incommoda omnia quæ in regionibus nostris in libris edendis occurrunt.

Quid hac de re sentias mihi pergratum facies si id significare non dedignaveris. Verum fortassis ante acceptam istam epistolam, alia mea tibi reddetur, in qua de hac re longius agere mihi licebit. Interim vale, vir clarissime, meque indesinenter credas

Amplissimi tui nominis cultorem, et veneratorem candidissimum,

LUDOVICUM DE LA GRANGE.